



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **CABINDANA*** IN ANGOLA NOVA DIOECESIS
CONDITUR CABINDANAE NOMINE Catholicae prosperitas communitatis in Angoliensi natione eiusdemque
religionis firmitas eo iam pertinuisse ac Deo dante pervenisse videtur ut duodecim suo tempore conditis ibi dioecesisibus
alia nova convenienter addi possit, quo nempe efficacius in postera tempora consulatur crescentibus usque
Christifidelium necessitatibus sacrique apostolatus opportunitatibus illis ipsis in locis. Sententiam pronis quidem auribus
excepimus Venerabilium Fratrum Angolae sacrorum Antistitum maturo consilio petentium ut praesertim latissime patens
archidioecesis Luandensis apte dividatur indeque nova excitetur ecclesiastica dicio. Quam ob rem certius Nos confisi
inceptum hoc expediendis rationibus ac negotiis Ecclesiae Catholicae in Angola plurimum sane esse profuturum, haec
singula statuimus fierique iubemus. Partem septentrionalem ipsius Archidioecesis Luandensis, qua scilicet provincia
civilis continetur nomine « Cabinda », iure seiunctam abstrahimus eamque convertimus in Dioecesim *Cabindanam* titulo
publico quam simul reddimus suffraganeam Luandensi Archidioecesi. Episcopi autem sedem in urbe vulgo « Cabinda »
reponi censemus, episcopalis vero magisterii cathedram in templo ibidem Deo dicato in honorem Beatissimae Mariae
Virgini Mundi Reginae, quod cathedralis sacra sit aedes iustis cum iuribus. Mandamus praeterea ut ad iuris canonici
normas consultorum collegium constituatur adhibeaturque. In universum deinde praecipimus ut ad amussim adserventur
sacri canones de singulis rationibus ordinandae et temperandae huius novae dicionis. Has postremo Litteras Apostolicas
tam in praesens quam in subsequens omne tempus ratas esse volumus ac firmas quibuslibet causis minime
obstantibus. Datum Romae, apud S. Petrum, die altero mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo octagesimo
quarto, Pontificatus Nostri sexto.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI

a publicis Ecclesiae negotiis

DERMOT J. RYAN, ARCHIEP. DUBLINEN.

S. Congr. pro Gentium Evang. Pro-Praef.

Iosephus Del Ton, *Protonot. Apost.*

Hyginus Quadraroli, *Protonot. Apost. s. n.*

*A.A.S., vol. LXXVI (1984), n. 11, pp. 947-948

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana